

DE PATRIA POTESTATE.

8.47.1

Impp. Antoninus et Verus AA. Titio.

Si filium tuum in potestate tua dicis esse, praeses provinciae aestimabit, an audire te debeat, cum diu passus sis ut patris familias rem eius agi per eos, qui testamento matris tutores nominati fuerunt.

PP. sine die et consss.

8.47.2

Imp. Antoninus A Maroniae.

Eius, quod in potestate patris agens habuisti, dominium ad patrem tuum pertinuit extra ea, quae non adquiruntur.

PP. XIII k. Mart. Laeto II ei Cereale consss.

[a. 215]

8.47.3

Imp. Alexander A. Artemidoro.

Si filius tuus in potestate tua est, res adquisitas tibi alienare non potuit. Quem, si pietatem patri debitam non agnoscit, castigare iure patriae potestatis non prohiberis, artiore remedio usurus, si in pari contumacia perseveraverit, eumque praesidi provinciae oblatus dicturo sententiam, quam tu quoque dici volueris.

PP. Vid. Dec. Albino et Maximo consss.

[a. 227]

8.47.4

Impp. Valerianus et Gallienus AA. et Valerianus C. Gallae.

Congruentius quidem videtur intra domum, inter te ac filios tuos si quae controversiae oriuntur, terminari.

1 ¶ Sed si ita res fuit, ut iniuriis eorum et ad ius experiendum et ad vindictam processeris, aditus praeses provinciae super disceptionibus quidem pecuniariis consuetum exerceri iubebit ordinem iuris: reverentiam autem debitam exhibere matri filios coget. Et, si provectam ad inclemiores iniurias improbitatem deprehenderit, laesam pietatem severius vindicabit.

PP. XVI k. Iun. Aemiliano et Basso consss.

[a. 259]